

in omnem æternitatem peribunt? an asequen-
tur sine fide iustitiam? vel beatitudinem sine ius-
titia? Sed habet Suenckfeldianus ac Libertini ar-
gumenta, quibus sententiam confirmat ac tue-
antur suam, scilicet, vt non sine ratione in sanire
videantur. Illa igitur qualia sint, inspiciamus.

CAPVT TERTIVM.

Refellitur obiectio ex verbis D. Pauli. *Litera oc-
cidit, spiritus autem viuificat.*

APOSTOLVS Paulus, inquit, *disser-
uis verbis literam à spiritu distinguit, &
illam ad Testamentum vetus aperire rei-
cit: quam etiam occidentem vocat; hunc
autem noui Testamenti proprium esse confirmat, & vi-
uificantem nominat.* Idoneos, inquit 2. Corinth. 3. nos
fecit ministros noui Testamenti non literæ, sed spiritus.
Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Igitur
quemadmodum vetus Testamentum Iudeorum est, &
nihil ad homines Christianos pertinet: ita nec Scriptura
diuina, quæ nihil aliud, quam literæ sunt, ad Christianos
homines pertinebunt.

Ad hoc argumentum facile respondemus, ac
primum res ita se habet, & nihil ad nos sacræ li-
teræ pertinet, cur ipse Christus, ait Ioannis 5.
Scrutamini Scripturas? cur Paulus tot literas scri-
psit? cur 1. Timoth. 4. discipulum monuit, vt le-
ctioni operam daret? Sed nimirum Apostolus
Paulus, neque per literam occidentem, sacram
Scripturam; neque per spiritum viuificantem, in-
ternam Spiritus alloquitionem intelligi voluit.
Neque aliud sunt Paulo litera & spiritus, quam
Ioanni lex & gratia. Lex, inquit Ioannes cap. 1.
per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum
CHRISTVM facta est. Et sanctus Augustinus lib.
15. contra Faustum, cap. 8. Eadem, inquit, lex, quæ
per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum
CHRISTVM facta est, cum accessit literæ spiri-
tus, vt inciperet impleri iustitia legis, quæ non im-
pleta reos etiam præuariance faciebat. Quod
autem Paulus per literam legem significet, ex
verbis sequentibus potest intelligi. Nam cum di-
xisset; Idoneos nos fecit ministros noui Testa-
menti; non literæ, sed spiritus; Litera enim occi-
dit, spiritus autem viuificat, subiicit continuò;
Quod si ministratio mortis, literis deformata in
lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent inten-
dere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam
vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis
ministratio spiritus erit in gloria? Quibus ver-
bis nullum reliquit dubitandi locum, quin per li-
teram occidentem lex in lapidibus descripta in-
telligenda sit.

Sed operæ pretium erit breuiter explicare, lex
illa per Mosem data, cur litera, cur occidens, cur
Testamenti veteris, propria esse dicatur. Ne, dum
Libertinos & Suenckfeldianos refellimus, ali-
quid Lutheranis concedere videamur.

Ac prima quidem dubitatio facilissima & penè

nulla erit, si Moles cum Christo, & lex conferatur
cum gratia. Etenim Moles cum legem datam à
Deo deferret ad populū, nihil detulit aliud, quam
litteras incisas in lapide; Christus verò, nec literas
vllas scripsit, nec ab alio scriptas attulit, sed spiritū
dilectionis & gratiæ, qui ne scribi quidem potest,
cordibus suorum afflauit. Itaque meritò Christi
lex, spiritus & gratia: lex Moysi, litera nominata
est.

Cur autem occidere lex dicatur, non eadem
omniū sententia est. ORIGENES lib. 6. contra Cel-
sum, propè extremò, literam occidentem signi-
ficare videtur esse Scripturam ipsam, cum iuxta
propriam verborum significationem exponitur:
eandem autem spiritum esse viuificantem, si mys-
ticè & spiritualiter exponatur: *Literam*, inquit,
nominauit, cum iuxta sensum diuinas literas accipi-
mus, spiritum verò cum iuxta intellectum. Et clarius
lib. 7. ante medium: *Dicimus*, inquit, *legem esse du-
plicem, videlicet, alteram iuxta literam, alteram iuxta
sententiam, sicut & maiores nostri docuerunt. Jam il-
lam, quæ sic, vt scriptū est, accipitur, non tam nos, quam
Deus, per quemdam Tropetam ius non bonum nomi-
nat, & præcepta non bona. Quem imitatus Paulus nos-
ter pronunciauit literam occidere; quod perinde est, ac
si verba dixisset occidere. Ceterum, Spiritus, inquit, vi-
uificat, quod tantumdem valet, ac si nos eorum intellectu
vitam consequi scripsisset.* Hæc Origenes; cuius sen-
tentia si ita accipitur, vt nihil omnino in diuinis

Scripturis ad literam exponi possit, exploratum
errorem continet, & iam dudum à Patribus ex-
plofa est. Vide Epiphanium epistola ad Ioan. & in
hæresi Origenis. Chrysostomū hom. 13. in Gen.
Hieronymum in epist. ad Pammachium, de erro-
ribus Ioan. Hierosolymit. & in cap. 10. Danielis.
Augustinum lib. 13. Ciui. Dei, ca. 21. & lib. 8. Gen.
cap. 1. Si sic autem, vt quæ figuratè dicta sunt, ea
secundum propriam verborum significationem
explicare prohibeantur; vera quidem sententia
est, sed in hūc Pauli locum minimè quadrat. Nec
enim Apostolus, cum literam dicit occidere, de
figuris Scripturarum loquitur; sed de notissimis
illis præceptis quæ in duabus tabulis lapideis scri-
pta erant. Sic enim ait: *Litera occidit, spiritus au-
tem viuificat. Quod si ministratio mortis literis de-
formata in lapidibus fuit in gloria, &c.* Et rursum in
epist. ad Roman. vbi aliquoties repetit, legem oc-
cidere, non aliam legem adfert in medium, quam
illam, Non concupisces. *Et vique (vt verbis vt-
tat Augustini, lib. de spiritu & litera, cap. 4.) non
figurate aliquid dicitur, quod accipiendum non sit se-
cundum literæ sonum, cum dicitur, Non concupisces; sed
apertissimum saluberrimumq; præceptū est; quod si quis
impleuerit, nullum habebit omnino peccatum.*

Iam verò S. IOANNES CHRYSOSTOMVS in 2. ad
Corint. c. 3. & qui cum sequuti sunt, Theodoretus,
Theophylactus, Oecumenius, nec non com-
mentarius, qui S. Ambrosio attribuitur, & alij
non nulli, literam occidentem, legem punien-
tem; & spiritum viuificantem, gratiam liberantem

à peccatis